



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Leonardii Lessii E Societate Iesu Theologi. In D.  
Thomam De Beatitudine. De Actibus Hvmanis. De  
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censvris.  
Prælectiones Theologicæ Posthvmæ**

**Lessius, Leonardus**

**Lovanii, 1645**

Qvæstio XV. De his per quæ sit satisfactio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

Quid spectare debet Con- fessor in penitentijs imponen- dis. quia

est in remedium contra futura, debet fieri diuersis operibus. Sacerdos autem in penitentijs imponendis utrumque spectare debet scilicet ut sint in vindictam preteritorum & in remedium futurorum, vt præcipit Concilium Tridentinum 14. cap. 8.

**ART. II. III. IV. & V.**

**D**e his quatuor articulis supra dictum est q. 89. ubi ostendimus hominem in peccato mortifero, nec posse mereri, nec satisfacere; nec opera illa reuiuiscere ad meritum, aut satisfactionem charitatem superueniente, valere eamen ad temporalia beneficia impetranda, & ad preparationem animi ad iustificationem. Solùm super, est.

**D. V. B. I. V. M.**

**V**trum expiera satisfactione sacramentalis in statu mortifero valeat: & si non valeat, virum saltem reuiuiscat per penitentiam & charitatem superuenientem?

**R**espondeo & Dico Primo: Qui impler penitentiam iniunctam in statu peccati mortalis, eti satisfaciat præcepto Sacerdotis, non tamensatisfaciat pro debito penæ coram Deo. Patet ex rationibus suprà allatis q. 89. art. 6. Confirmatur Primo: Quia Sacramenta nihil profutur, qui sunt in statu peccati mortiferi sine cōtritione, vel penitentia disponente ad Sacraenta: ergo multo minus satisfactio prodest. Secundo: quia satisfactio non applicat Christi merita ad iustificationem, sed solùm ad remissionem penarum: atqui talis applicatio nullâ vim habet in eo, qui est inimicus: nā remissio penæ temporalis supponit amici-

Satisfac- tamen præ- ceptio con- fessoris.

ti, & remissionem culpe: est enim veluti cōplementum iustificationis, per quod omnis nequalitas tollitur. Satisfacit tamē præcepto Sacerdotis: nam sicut alijs plerisque præceptis satisficeri potest in statu peccati, ita etiam huic, præsertim cum actus virtutum, scilicet orationem, ieiunium, & elemosynam, quibus fit satisfactio, extra gratiam praestare possimus: quo sit, vt iste postea non teheatr illam penitentiam repetere.

**D**ico Secundo: Probabile tamen est, hanc satisfactionem reuiuiscere per gratiam superuenientem, quamvis ea qua sponte assumitur, non reuiuscatur. Ita Cajetanus Opusculo de Satisfactione q. 2. Petrus Soto lectione 2. de Satisfactione sub fine Victoria q. 201. & ali complures.

Reuiuscit illa satisfa- ctio per gratiam superuenien- tem.

Probatur Primo: Quia, eti sacramentalis satisfactio, dum impletur, non fit grata Deo ex opere operantis, est tamen grata ex opere operato: id est, ratione operis externi ex institutione Christi vim habentis; applicat enim Christi merita ad remissionem penæ temporalis: ergo habebit suam efficaciam, quando fuerit homo capax: sola enim incapacitas hominis impeditabat, quod minus illa Christi merita Sacramentali satisfactione applicata haberent effectum: sublatâ ergo hominis indignitate erunt efficacia, sicut dicunt est de alijs Sacramentis. Secundus est de satisfactione non sacramentali, quia haec solūm ex opere operantis potest placere: quando ergo operans displiceret, ipsa non potest esse accepta.

Probatur Secundo: Ecclesia numquam fuit sollicita, vt penitentes repeterent penitentiam, quam in peccato expulererunt: videtur ergo sentire, illam prodebet saltē post conversionem: aliqui monendi sufficien penitentes, vt rufum penitentiam iniunctam præstarent, sic post hanc vitam diras penas luant.

**Q V A E S T I O X V .**

*De his, per que fit Satisfactione.*

**ARTICVLVS I.**

**V**trum Satisfactione debeat fieri per opera penitentia?

Affirma- tur.

**R**espondetur Affirmatiuē. Quod probari potest. Primo: Quia paſsim Scriptura, dum meminit penitentia, proponit opera penitentia. Secundo: Quia satisfactio fit in vindictam peccatorum: vindicta autem sonat penam. Tertio: Quia satisfactio compensat inæqualitatem, qua per peccatum inter Deum & hominem est inducta; ea autem inæqualitas in hoc consistit, quod homo plus sibi tribuerit, minus Deo: postulat ergo satisfactio, vt aliquid sibi in honorem Dei adimat, quod fit in inflictione penæ, quæ auferit homini bonum vtile, vel delectabile, sicut culpa auferit bonum honestum. Quartò denique, Satisfactione debet esse in remedium contra futura: optimum autem remedium est opus penale. Nihil enim tam cohibet a peccato committendo, quam penæ, cuius molestiam es expertus. Notandum tamen est, has ra-

tiones solūm conuincere opus penale esse maxime accommodatum, propriissimeque dici satisfactorium; & ideo ordinariè imponendum; non tamen, quin per alia opera meritoria etiam possit satisfieri. Vnde

Notandum est: Tribus modis posse nos satisfacere.

Primo: Debitam penam sustinendo; sicut satisfacit qui ob crimen plectitur capite: sic satisfacit in Purgatorio. Sed hoc potius dicitur *satisfacere*, quam *satisfactio*: nam hic non habetur ratio patientia interioris, sed solūm externe perspectives.

Secundo: Merendo penæ condonationem: id est, *satisfacere*. Merendo penæ condonationem, dum quis in statu gratiae pro peccatis suis laboriosa & molesta facit opera; v.g. dum ieiunat, gerit cilicium, cubat humi, dat elemosynam. Huiusmodi enim operibus, eò quod penalia sint, & sponte fusciantur, meremur directe maiorem penam nobis remitti. Nam illa promptudo quâ quis sibi infligit penam, vt alteri pro iniuria satisfaciat, pluris estimatur, quam si quadruplicet ab alio inflictam sustineret. Hęc propriè dicuntur *satisfac-*

Tribus modis possumus satis- facere.

Merendo penæ con- donationem.

satisfactoria, quia maximè accommodata ad pro-  
merendam poenæ remissionem. Secundò: mere-  
mur remissionem poenæ secundariò & indirectè.  
Sic actus charitatis internus est satisfactorius, et  
iam si cum summa voluptate fiat. Ratio est Pri-  
mò: Quia per actum quemuis meritorium non  
solum efficimus digni vitæ æternæ, sed etiam, ex  
consequenti, amotione impedimenti externi, quod  
impedit eius consecrationem; quale impedimen-  
tum est poena illa temporalis; & quamvis non me-  
reatur semper vt totū hoc impedimentum amo-  
ueatur, meremur tamē vt minuatur. Secundò: Quia,  
qui meretur incrementum amicitiae, etiam mere-  
tur imminutionem iræ seu offendit animi, quo  
amicus parabat vindictam ob præcedentem cul-  
pam; vt cernere est inter homines: ergo omni  
opere meritorio, quo meremur incrementū amo-  
ris Dei erga nos, ex consequenti meremur etiam  
imminutionem iræ, seu affectus puniendi.

3. Impe-  
trando pce-  
na remis-  
sionem: Tertiò: Satisfacimus etiam imperando remis-  
sionem poena, sicut impetramus alia bona: siccatione,  
& omnibus ijs, quæ adhibemus, vt  
oratio nostra Deum commoueat ad misericordi-  
ter ignoscendum, satisfacimus. Impetratio enim  
nititur misericordiæ, & efficitur omnibus illis,  
quibus Deum ad miserendum electimus. Ex di-  
ctis sequitur, fructum impetracionis posse alteri  
applicari, retento fructu qui est ex merito: quia  
non idem sum minus dignus condonatione poenæ,  
quod pro altero opus satisfactorium præstem.

## DVBIUM I.

Vtrum satisfactio debet fieri per opus alias  
indebitum?

Quidam  
affirmant.

**M**ultorum Doctorum Sententia est, opus sa-  
tisfactoriorum debere esse aliæ indebitum;  
id est, ad quod homo non teneretur nisi peccasset.  
Ita Paludanus, Gabriel, Major dicit. 15. Antoni-  
nus & Silvester. Ratio illorum est: quia quando  
aliquid est debitum titulo priore, non possumus  
per illud satisfacere obligationi nouæ, quæ alio  
titulo superuenit.

Opera aliæ  
debita, sunt  
etiam sati-  
factoria.

Respondeo & Dico Primò: Etiam opera ex  
præcepto, vel voto debita, sunt satisfactoria. Ita  
Medina q. 4. De satisfactione sub finem. Sotus dicit.  
19. qu. 2. art. 1. Adrianus qu. 3. De satisfactione.  
Probatur Primò: quia ieiunia Ecclesiæ sunt præ-  
cepta, & tamen sunt satisfactoria: Nam idcirco ab  
Ecclesiâ sunt instituta. Probatur Secundò, Pa-  
tentia martyrio tolerando est præcepta, & ta-  
men est maximè satisfactoria. Probatur Tertiò,  
Ratione. Quia nostra satisfactio non fit per com-  
mutationem dati & accepti, sed per modum mer-  
itii: ergo sicut obligatio præcepti vel voti nihil  
obstat, quod minus illo opere possimus mereri vi-  
tam æternam, ita nihil impedit, quin possimus  
satisfacere pro peccatis.

Ad Rationem contrariam: Respondeo, Id so-  
lum habere locum in debitis iustitia particularis,  
in quibus spectatur æqualitas dati & accepti; vna  
enim res non potest esse æqualis duabus accep-  
tis, ex quibus orta est duplex obligatio: vt si de-  
beas Petro decem, quia laborauit, & decem quia  
mutuauit, debes restituere id quod est æquale illis  
duobus, quod non est decem, sed viginti. Secùs  
vero, si debeas Deo ex præcepto & iniuria illata:  
nam per hoc, quod satisfacis præcepto, nihil de-

trahitur operi dignitatis ad merendam remissio-  
nem, sed hæc potius crescit ex præcepto. Idem de  
voto optimè Medina q. 4. sub finem.

Dico Secundò: Opera tamen huiusmodi alias  
debita non sunt ordinariæ in Sacramento poenæ.  
Hæc tamen tentia imponenda: neque satisfactio iniuncta est  
de his intelligenda, nisi Sacerdos contrarium ex-  
primat. Est communis Doctorum. Ratio est: quia  
æquitas postulat, vt is, qui illicita perpetravit, ad  
aliquid noui obligetur, ad quod alia non tenetur:  
aliquoquin non sentiat vindictam suorum pec-  
catorum. Vide Gregorium hom. 20. in Lucam  
circa mediū, ubi super hæc verba, Facit ergo fruc-  
tus dignos penitentia; sic ait: Aliud est fructum face-  
re penitentia, aliud, dignum penitentia fructum face-  
re. Ut enim secundum dignos penitentia fructus  
quoniam, scinduntur est, quia quis quis illicita nulla con-  
misit, huic ure conceditur, ut licet vratur: scilicet pie-  
tatis opera faciat, vt tamen si voluerit, ea qua mundi  
sunt, non relinquit. At si quis in fornicationis culpan,  
vel fortasse, quod est grauius, in adulterium lapsus est:  
tanto à se licta debet abscedere, quanto se meminit &  
illicita perpetrasse. Neque enim pars fructus boni operis  
esse debet, eius qui minus, & eius qui amplius deliquerit,  
aut eius qui in nullis, & eius qui in quibusdam facinori-  
bus cecidit, & eius qui in multis est lapsus.

Dixi, Ordinariæ: Quia interdum Sacerdos ha-  
bet iustas causas opera præcepta imponendi: v.g.  
ieiunium Ecclesiæ, recitationem Officij diuinij  
Clerico, restitutionem furi: nempe quando vider  
eum alia ratione ad hæc vix posse adduci, aut non  
habere opportunitatem aliter faciendi. Hoc casu  
duplici obligatione poenitens tenetur: & si omit-  
tat, duplex peccatum committit: si præstet, duplex  
consequitur fructum, scilicet ratione operis præ-  
cepti & ratione virtutis, quam opus trahit ex po-  
testate Clauij: hinc enim habet vim applicandi  
Christi meritum ad peccarum remissionem.

## DVBIUM II.

Vtrum Penitentia sint arbitriaria?

R Espondeo, & Dico Primò: Communis sen-  
tentia Doctorum est, esse arbitriarias. Quod  
non sic intelligendum est, quasi Sacerdos pro nu-  
do arbitratus possit imponere magnas vel parvas  
(tenetur enim, spectata conditione penitentis,  
& habita ratione spiritualis utilitatis illius, in-  
iungere, quantum fieri potest, accommodatas &  
commensuratas, vt colligitur ex Concilio Tri-  
dentino cap. 8.) sed quia non tenetur sequi Ca-  
nones penitentiales.

Dico Secundò: Valde probabile est, non so-  
lum à tempore magni Concilij Lateranensis, vt  
quidam volunt, sed ab initio nascentis Ecclesiæ,  
penitentias hoc modo arbitriarias fuisse: quamvis  
olim ob dispositionem penitentiū confuerint  
maiores imponi. Colligitur hoc ex epist. 77. Leonis,  
vbi Nicetæ Episcopo scribit, Tempora penituti-  
onis, habita moderatione, constituenda sunt tuo iudi-  
cio, prout conuersorum animos perspexeris esse deuotos;  
pariter etiam habentes etatis sensilis intuitum, &c. Itē  
ex Canone, Mensuram, de Penitentiâ dicit. 1. vbi  
dicit, Mensuram temporis agenda penitentia lingui in  
arbitrio Sacerdotis. Canones autem Penitentiales tales quo-  
seruabantur tum in foro externo, tum etiam in-  
terdū in interno, quando id expediens videbatur.

Dico

**Quæst. 15. De his per quæ fit Satisfactio. Art. 1. Dub. 3. A. 2. D.** 263

**7**  
Confessor  
tenet  
pœnitentia  
iniungere  
pro morti-  
feris pecca-  
tis.

Dico Tertiò: Sacerdos omnino tenet pœnitentia iniungere pœnitentiam maximè pro mortiferis, etiam in articulo mortis. Probatur Primiò: Quia multi Canones & Concilia id præcipiunt, Concilium Trident. sess. 14. cap. 8. sic ait: Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum spiritus & prudenter suggesterit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, salutares & conuenientes satisfactiones iniungere: ne, si forte peccatis conniveant, & indulgentius cum pœnitentibus agant, leuisima quedam opera pro grauissimis delictis iniungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur, &c. Probatur Secundò: Quia Sacerdos est Iudex loco Dei, & veluti arbiter inter Deum & hominem: ergo tenetur curare ut parti læsa satisfiat: alioquin facit contra suum officium. Probatu Tertiò: Quia hæc satisfactio pertinet ad integratatem Sacramenti, quæ integritas in causa magni momenti, qualis est confessio peccati mortalium, nullo modo potest permitti. Vnde etiam sequitur pœnitentiam non posse tantum iniungi sub consilio: qui hoc non est iniungere.

**Qualem**  
**pro venia-**  
**libus.**

Vbi tamen solum est confessio venialium, probabilis est nō esse peccatum mortale, si nulla iniungatur satisfactio: quia hec sunt minoris momenti, & ipsa verecundia & humilitas cœfessionis, potest magna ex parte sufficere. Similiter si constaret peccatum mortale iam penitus esse remissum quo ad culpam, & omnem pœnam ex perfectissima quadam contritione esse condonata. Tunc enim probabilis est Sacerdotem non teneri iniungere satisfacionem: quia illa pars Sacramenti non est tunc necessaria ad perfectam peccati condonationem.

**Qualem in**  
**articulo**  
**mortis.**

In articulo autem mortis si pœnitens vtitur ratione, debet etiam ei aliquid iniungi quod implet si conualecat. Item potest ei iniungi ut mortem acceptet de manu Dei. Item ut dicat, *In manus tuas Domine, commendo spiritum meum;* vel versiculum aliquem aspiratorium ex Psal. 50. &c. si non vtitur ratione, non est necesse quidquam iniungere.

**8**  
Pœniten-  
tia confes-  
sionis est  
per cereris  
satisfactio-  
nia.

Dico Quartò: Opera à Sacerdote imposta, sunt magis satisfactoria, quæ ea, quæ sponte assumuntur. Primiò: Quia ex obedientia procedunt. Secundò: Quia ex virtute Clauium nouam quandam vim contrahunt: applicant enim merita Christi tanquam ex opere operato. Vnde etiam reuulsunt. Hinc pœnitentes optimè sibi consulunt, qui magnas pœnitentias pro peccatis mortiferis iniungi sibi petunt.

**D V B I V M . III.**

*An alias Sacerdos posset mutare pœnitentiam ab alio iniunctum?*

**9**  
Superior.

R Espondeo & Dico Primiò: Superior potest mutare pœnitentiam imposta ab inferiore. Ita communiter Doctores. Rationem adserit Sotus, quia ille habet iurisdictionem in inferiorem. Sed hæc ratio non vrget: nam inferior Sacerdos secundum eam potestatem, qua iniungit pœnitentiam pœnitenti, non est cuiquam subiectus, nisi Christo. Vnde tota ratio est ratihabitio inferioris, quæ semper præsumitur, quando causa immutandi est iusta.

**Inferior.**

Dico Secundò: Etiam inferior potest commutare ex iusta causa pœnitentiam iniunctam à Su-

periore, præsentim si non fuit iniuncta ob casum reseruatum. Ita Victoria qu. 211. Nauaritus c. 26. n. 22. Silvester Confess. 1. qu. 27. & alij. Ratio est: quia censetur esse ratihabitio Superioris.

Dico Tertiò: Hæc commutatio debet fieri auditâ cœfessione priorum peccatorum; alioquin pœnitentia, in qua fit commutatio, non erit Sacramentalis. Ita Silvester loco citato. Ratio est: quia sine confessione priorum peccatorum non potest ex virtute Clauium iniungere pœnitentiam pro illis peccatis; cum illa peccata ipius iudicio numquam fuerint subiecta.

Dico Quartò: Superior tamen, qui potest conferre Indulgencias pœnitenti, potest eius pœnitentiam, vel totam, vel ex parte tollere non auditâ confessione. Patet ex praxi Ecclesiæ. Ratio est: quia potestas conferendi Indulgencias, est potestas absoluendi à pœnis debitibus interuenient iustæ solutionis.

**A R T I C U L U S . II.**

*Vtrum flagella presentis vita sint satisfactoria?*

R Espondet: Esse satisfactoria, si patienter tolerentur. Est fide tenendum, ut patet ex Tridentino sess. 14. can. 13. Sed est

**D V B I V M .**

*An solum ratione altius interioris patientie, sint ista flagella satisfactoria, an per se ipsa?*

R Espondeo & Dico Primiò: Flagella, quæ ex peculiari Dei prouidentia infliguntur ad punienda peccata, sunt satisfactoria, non solum ratione interioris patientie, sed etiam per se ipsa. Ita Sotus hic. Medina q. 5. & alij. Victoria q. 207. Sic diluvium, euerio Sodomorum, captiuitas populi Israëlitici, punitio Davidis. Vide Hieronymum in c. 1. Nahum, vbi docet luculentè Sodomitas conuersos non sustinuisse castigationem in altera vita.

Probatur Primiò: Quia idcirco à Deo immittuntur, ut per ea castigentur peccata, & debitum pœna exhaustur. Sicut dum parentes castigant filium, non solum interno actu patientie, sed ipse dolor satisfacit. Pari ratione, Idec pœna Purgatoriū sunt satisfactoria, quia à Deo ad hoc infliguntur.

Probatur Secundò: Quia non punit Deus bis in idipsum: Nahum 1. iuxta LXX. in quem locum vide Hieronymum de ijs, qui perierunt in diluvio & Sodomis. Atqui bis punit, si post calamitates immisssas ad vindicanda peccata, easque toleratas, obligaret hominem ad aliam satisfactionem, vel eam infligeret in Purgatorio, perinde ac si hic castigatus non fuisset.

Probatur Tertiò: Quia solutio debiti pœnae, nihil aliud requirit, quam ut ipsa pœna infligatur & sustineatur; modò is qui patitur, non obmurmure, saltum mortiferè: requirit enim status gratiae. Dices: in illa tolerantia flagellarum potius est sati passio, quam satisfactio. Respondeo: Non facimus vim in nomine Satisfactionis. Tantum volumus debitum pœnarum per peccata contratum, minui & consumi hæc tolerantia.

Z Z Z Dico

<sup>12</sup> Dico Secundò : Flagella quæ secundum com-  
Si immissa munem cursum rerum obueniunt, non videntur  
ex communi satisfactoria, nisi quatenus ad id acceptantur.  
ni prouidens. Probatur : quia ista non directè infliguntur in  
hunc finem, sed præuiso peccato originali secun-  
dum naturalem rerum cursum permituntur; unde  
quasi naturaliter obueniunt. Quatenus tamen  
acceptantur, tanquam à diuinâ Prouidentiâ ob-  
nostram salutem permitta, sunt satisfactoria; co-  
quæ magis, quæ maior est afflictio.

## ARTICVLVS III.

*An conuenienter enumerentur  
opera satisfactoria?*

<sup>13</sup> Tria genera operum satisfactoriorum. Primum est *Ieunium*, ad  
quod reducuntur omnes aliae asperitates, vt cili-  
morum. **D**icit hoc Articulo esse tria genera operum  
satisfactoriorum. Primum est *Ieunium*, ad  
quod reducuntur omnes aliae asperitates, vt cili-  
morum. Secundum est *Eleemosyna*, quæ continet

omnia opera misericordie corporalia & spiritua-  
lia. Tertium est *Oratio*, quæ continet omnem  
adorationem & cultum Dei, meditationem, con-  
templationem, actum fidei, spei, charitatis &c.  
Ratio est, quia hæc omnia sunt quodam modo  
penalitia. Ieunium enim per se affigit. Eleemo-  
syna etiam quodam modo penalisa est : nam sub-  
trahit pecunias & bona temporalia, & plerumque  
cum labore coniuncta est : & quamvis non  
semper sit molesta, neque positiuè pena, est tam-  
en pena priuatiuè, subtrahens homini aliquid.  
Oratio etiam penalisa est, tum quia nō sine labore  
perficitur, tum etiam quia spiritum hominis de-  
primit, & Deo subiectum.

Petes : Quodnam ex istis operibus est magis <sup>Quod nam</sup>  
satisfactorium. Respondeo : ceteris paribus, id est,  
<sup>ex his ma-</sup> si ex æquali deuotione procedant, magis satisfac-  
toria est afflictio corporis ; dein oratio ; tertio  
eleemosyna. Quodam tamen modo eleemosyna  
est maximè satisfactoria, quia excitat alios ad  
orationem pro nobis. Vnde præcipue in Scriptu-  
ris commendatur.

## QVÆSTIO XVI.

*De Suscipientibus hoc Sacramentum.*

**Q**uartus hæc D. Thomas Primò : Vtrum pæ-  
nitentia possit esse in innocentibus. Secun-  
dò : Vtrum sit in Sanctis qui sunt in gloria. Ter-  
tiò : Vtrum sit in Angelis bonis seu malis. Sed  
hæc explicata sunt supra quæst. 85. art. 4. dub. 2.

## QVÆSTIO 17. 18. 19. 20.

**H**is quatuor Quæstionibus tractat Diuus  
Thomas de potestate Clavium. Et qui-  
dem in quæstione 17. agit de entitate &  
quidditate Clavium. In quæst. 18. de  
effectu earum. In quæst. 19. de Ministris Clavium.  
In quæst. 20. de his in quibus potest exerceri usus  
Clavium. Sed hæc non habent peculiarem diffi-  
cultatem, quæ hæc tenus explicata non sit.

Notandum solùm : *Claves* in Scripturis Meta-  
phorice accipi, pro potestate spirituali in subditos,  
nam claves sunt signum potestatis regendi. Vnde  
Magistratus dantur claves verbis : *Oeconomus*,  
clavis domus. Sic Isaia 22. vers. 22. *Dabo clavem*  
*domus David* super humerum eius, id est, summam  
potestatem spiritalem in Tribu Iuda, & in Apo-  
calyp. *Qui habet clavem David*, id est, qui habet  
summam potestatem in domo David, id est, in  
Ecclesia. Strictè vero accipiuntur *Claves*, pro po-

testate remittendi & retinendi peccata, quibus  
clauditur regnum cœlorum, quæ potestas Apo-  
stolis collata est Ioannis 20. Vnde à Doctoribus  
hæc definitio dari solet : *Clavis est potestas ligandi* <sup>Clavis Ec.</sup>  
*atque soluendi, qua Ecclesiasticus Index dignos recipere,* <sup>Clesie, quid,</sup>  
*& indignos à regno excludere debet.* Quare, eti in  
veteri Testamento furcerit aliquo modo potestas  
Clavium, ut patet ex loco Isaiae citato, tamè pro-  
priè & strictè loquendo soli Sacerdotes Novi  
Testamenti potestatem Clavium habent; quia soli  
impedimenta regni cœlestis possunt tollere.

Porro actus huius potestatis sunt, *præcipere, re-  
tare, dispensare, absoluere, punire* : de quibus gene-  
ratim dictum est in Tractatu de Legibus, & ex  
parte supra. Solùm supereft ut hæc in particulari  
dicamus de penis Ecclesiasticis, quæ sunt Excom-  
municatio, Suspensio, Interdictum, Irregularitas.

DE

satisfactoria, quia maximè accommodata ad pro-  
merendam poenæ remissionem. Secundò: mere-  
mur remissionem poenæ secundariò & indirectè.  
Sic actus charitatis internus est satisfactorius, et  
iam si cum summa voluptate fiat. Ratio est Pri-  
mò: Quia per actum quemuis meritorium non  
solum efficimus digni vitæ æternæ, sed etiam, ex  
consequenti, amotione impedimenti externi, quod  
impedit eius consecrationem; quale impedimen-  
tum est poena illa temporalis; & quamvis non me-  
reatur semper vt totū hoc impedimentum amo-  
ueatur, meremur tamē vt minuatur. Secundò: Quia,  
qui meretur incrementum amicitiae, etiam mere-  
tur imminutionem iræ seu offendit animi, quo  
amicus parabat vindictam ob præcedentem cul-  
pam; vt cernere est inter homines: ergo omni  
opere meritorio, quo meremur incrementū amo-  
ris Dei erga nos, ex consequenti meremur etiam  
imminutionem iræ, seu affectus puniendi.

3. Impe-  
trando pce-  
na remis-  
sionem: Tertiò: Satisfacimus etiam imperando remis-  
sionem poena, sicut impetramus alia bona: siccatione,  
& omnibus ijs, quæ adhibemus, vt  
oratio nostra Deum commoueat ad misericordi-  
ter ignoscendum, satisfacimus. Impetratio enim  
nititur misericordiæ, & efficitur omnibus illis,  
quibus Deum ad miserendum electimus. Ex di-  
ctis sequitur, fructum impetracionis posse alteri  
applicari, retento fructu qui est ex merito: quia  
non idem sum minus dignus condonatione poenæ,  
quod pro altero opus satisfactorium præstem.

## DVBIUM I.

Vtrum satisfactio debet fieri per opus alias  
indebitum?

Quidam  
affirmant.

**M**ultorum Doctorum Sententia est, opus sa-  
tisfactoriorum debere esse aliæ indebitum;  
id est, ad quod homo non teneretur nisi peccasset.  
Ita Paludanus, Gabriel, Major dicit. 15. Antoni-  
nus & Silvester. Ratio illorum est: quia quando  
aliquid est debitum titulo priore, non possumus  
per illud satisfacere obligationi nouæ, quæ alio  
titulo superuenit.

Opera aliæ  
debita, sunt  
etiam sati-  
factoria.

Respondeo & Dico Primò: Etiam opera ex  
præcepto, vel voto debita, sunt satisfactoria. Ita  
Medina q. 4. De satisfactione sub finem. Sotus dicit.  
19. qu. 2. art. 1. Adrianus qu. 3. De satisfactione.  
Probatur Primò: quia ieiunia Ecclesiæ sunt præ-  
cepta, & tamen sunt satisfactoria: Nam idcirco ab  
Ecclesiâ sunt instituta. Probatur Secundò, Pa-  
tentia martyrio tolerando est præcepta, & ta-  
men est maximè satisfactoria. Probatur Tertiò,  
Ratione. Quia nostra satisfactio non fit per com-  
mutationem dati & accepti, sed per modum mer-  
itii: ergo sicut obligatio præcepti vel voti nihil  
obstat, quod minus illo opere possimus mereri vi-  
tam æternam, ita nihil impedit, quin possimus  
satisfacere pro peccatis.

Ad Rationem contrariam: Respondeo, Id so-  
lum habere locum in debitis iustitia particularis,  
in quibus spectatur æqualitas dati & accepti; vna  
enim res non potest esse æqualis duabus accep-  
tis, ex quibus orta est duplex obligatio: vt si de-  
beas Petro decem, quia laborauit, & decem quia  
mutuauit, debes restituere id quod est æquale illis  
duobus, quod non est decem, sed viginti. Secùs  
vero, si debeas Deo ex præcepto & iniuria illata:  
nam per hoc, quod satisfacis præcepto, nihil de-

trahitur operi dignitatis ad merendam remissio-  
nem, sed hæc potius crescit ex præcepto. Idem de  
voto optimè Medina q. 4. sub finem.

Dico Secundò: Opera tamen huiusmodi alias  
debita non sunt ordinariæ in Sacramento poenæ.  
Hæc tamen tentia imponenda: neque satisfactio iniuncta est  
de his intelligenda, nisi Sacerdos contrarium ex-  
primat. Est communis Doctorum. Ratio est: quia  
æquitas postulat, vt is, qui illicita perpetravit, ad  
aliquid noui obligetur, ad quod alia non tenetur:  
aliquoquin non sentiat vindictam suorum pec-  
catorum. Vide Gregorium hom. 20. in Lucam  
circa mediū, ubi super hæc verba, Facit ergo fruc-  
tus dignos penitentia; sic ait: Aliud est fructum face-  
re penitentia, aliud, dignum penitentia fructum face-  
re. Ut enim secundum dignos penitentia fructus  
quoniam, scinduntur est, quia quis quis illicita nulla con-  
misit, huic ure conceditur, ut licet vratur: scilicet pie-  
tatis opera faciat, vt tamen si voluerit, ea qua mundi  
sunt, non relinquit. At si quis in fornicationis culpan,  
vel fortasse, quod est grauius, in adulterium lapsus est:  
tanto à se licta debet abscedere, quanto se meminit &  
illicita perpetrasse. Neque enim pars fructus boni operis  
esse debet, eius qui minus, & eius qui amplius deliquerit,  
aut eius qui in nullis, & eius qui in quibusdam facinori-  
bus cecidit, & eius qui in multis est lapsus.

Dixi, Ordinariæ: Quia interdum Sacerdos ha-  
bet iustas causas opera præcepta imponendi: v.g.  
ieiunium Ecclesiæ, recitationem Officij diuinij  
Clerico, restitutionem furi: nempe quando vider  
eum alia ratione ad hæc vix posse adduci, aut non  
habere opportunitatem aliter faciendi. Hoc casu  
duplici obligatione poenitens tenetur: & si omit-  
tat, duplex peccatum committit: si præstet, duplex  
consequitur fructum, scilicet ratione operis præ-  
cepti & ratione virtutis, quam opus trahit ex po-  
testate Clauij: hinc enim habet vim applicandi  
Christi meritum ad peccarum remissionem.

## DVBIUM II.

Vtrum Penitentia sint arbitriaria?

R Espondeo, & Dico Primò: Communis sen-  
tentia Doctorum est, esse arbitriarias. Quod  
non sic intelligendum est, quasi Sacerdos pro nu-  
do arbitratus possit imponere magnas vel parvas  
(tenetur enim, spectata conditione penitentis,  
& habita ratione spiritualis utilitatis illius, in-  
iungere, quantum fieri potest, accommodatas &  
commensuratas, vt colligitur ex Concilio Tri-  
dentino cap. 8.) sed quia non tenetur sequi Ca-  
nones penitentiales.

Dico Secundò: Valde probabile est, non so-  
lum à tempore magni Concilij Lateranensis, vt  
quidam volunt, sed ab initio nascentis Ecclesiæ,  
penitentias hoc modo arbitriarias fuisse: quamvis  
olim ob dispositionem penitentiū confuerint  
maiores imponi. Colligitur hoc ex epist. 77. Leonis,  
vbi Nicetæ Episcopo scribit, Tempora penituti-  
onis, habita moderatione, constituenda sunt tuo iudi-  
cio, prout conuersorum animos perspexeris esse deuotos;  
pariter etiam habentes etatis sensilis intuitum, &c. Itē  
ex Canone, Mensuram, de Penitentiâ dicit. 1. vbi  
dicit, Mensuram temporis agenda penitentia lingui in  
arbitrio Sacerdotis. Canones autem Penitentiales tales quo-  
seruabantur tum in foro externo, tum etiam in-  
terdū in interno, quando id expediens videbatur.

Dico